



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vera fœcunditas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Unde Horatius dixit, ebrietatem ad praelia vel inermem trudere; eaque de causa Bacchum taurinis cornibus insignitum ajunt. Atq; hoc illud est quod convivas coronari mos fuit. Nam coronam à cornu fluxisse in Commentario suo, & quæ plurima ad hanc rem faciunt, ostendimus. Apud Xenophontem tamen de Græcorum reditu plerisque locis invenias, eos non nisi corneis poculis acceptos, quod apud Gentes innumeras cornua vasculorum usum subministrarent; quare Nicandri dictum ad historiam potius, quam ad Philotophiam referendum.

Epistola ad
Torquatum.

CLEMENS ANIMUS. CAP. XLVI.

Videre vero est Cornua illa copiarum nuncupata, & vasa reliqua, variorum modo fructuum, modo arborum, modo herbarum plena. Quale igitur significatum habet id quod ex vase pullulat, tale aliquid insidere animo intelligendum: quippe si fructifere oleæ ramusculos inspicias, clementem animum interpreteris: si Palmam, invidiam & victoriæ compotem: si Laurum, ab humilibus negotiis, caducisq; rebus alienum, cælestiaq; & permanens semper attentantem.

ARTES DISCIPLINÆQUE INANES. CAP. XLVII.

Parimodo vasa sterilibus arboribus, & inutilibus fructibus oppleta, hieroglyphicè inanes artes, vanasq; disciplinas ostendunt. Per steriles enim & inutiles fructus in Divinis literis artes illæ intelliguntur, interprete Philone, quæ contra veritatem justitiamq; comparantur. In quibus medicinam in primis enumerat, ubi non ad sanitatem, sed ad lucrum comparata sit. Cui mox oratoriam adjungit, advocatoriam scilicet illam & mercenariam, non ad justitiam, sed ad decipiendos fallacibus suaditionibus audientes intentam. His dialecticam illam comitem adhibet, quæ nihil ad mores, hoc est, ad veros animi fructus facit; utpote quæ nugatur tantum argutiis & subtilitatibus gallinaceum hic ex illo suo copiarum cornu propinare se pollicetur, cum tamen sit rerum omnium inanis, ollasque tantum, ut Plutarchus de istis ipsis ait, ostendet. Invehitur & Origenes in hos ipsos, ubi eos piscibus squamâ pinnisq; carentibus similes esse dicit, hæsitareq; semper in luto, nec ad aquarum superficiem, aerisq; participatum unquam attolli esseq; hoc genus illud piscium profanum, quod à sacris omnino pellitur.

Steriles
fructus in
Divina.

In libello
de suscul-
tando.

VERA FOECUNDITAS. CAP. XLVIII.

Orni vero copiarum verum illud est, quod ab animo, qui veram profiteatur agriculturam, impletur. Ea vero est quæ ab agro suo insipientiæ, intemperantiæ, iniquitatis ac fortitudinis arbores exciderit, & à radice penitus extirparit: voluptatis insuper, cupiditatis, iræ, furoris, & venenorum aliorum plantas ad cælum usque porrectas ita eradicaverit, ut neque vestigium earum ullum relinquatur, ac quicquam aliud, quod occultata, citaque propagine prorepens aliquando subpullulare contendat. Cujusmodi vero sint arbores quæ prorsus indicent affectus, ostendit Horatius, cum de spinis pluribus exemptam unam, nihil aut parum juvare dixerit. Atq; alibi,

Vera agri-
cultura
qua.

Certemus (inquit) spinas animone ego fortius an tu
Evellas agro, & melior sis Horatius, an res.

Epist. li. vi.
epist. 4.

His inquam evulsis, earum mox loco subpullulent pangunturve plantæ, quarum fructibus repletum cornu offeramus Deo, ut illud: Ecce odor silis miscent odor agri pleni, quem Deus numinis sui rore fecundavit, & ad optimam frugem jussu pervenire de nobis dici mereamur.

Gen. 2.

JOAN-